

Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediate a Deo, vel Daemonis ministerio, ut in aliis accidit animabus, in dubio relinquitur. *Molin.* 51.

Quando haec violentiae etiam impuræ veniunt sine mentis offuscatione, tum anima potest se unire Deo, et re ipsa semper magis unitur. *Molin.* 52.

Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam ea de re habeo, non solum est quod protestentur haec animæ se non consensisse, vel quod non possint jurare se consensisse, ac quod videamus, esse animas, quæ profectum faciunt in via interna; sed præsertim me dirigo lumine quodam actuali, et quod superius est cognitione humana ac theologia, quo cognosco certo, cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentiam: et hoc lumen certus sum venire a Deo; quia mihi venit conjunctum cum securitate quod veniat a Deo, neque mihi vel umbram dubii in contrarium relinquit, eum in modum, quo interdum accedit ut Deus, revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse qui eam revelationem facit, neque anima possit in contrarium dubitare. *Molin.* 53.

DE PROBATIONIBUS PERFECTIONIS. Ex quo traditum est Deo liberum arbitrium, cura etiam ac cogitatio animæ nostræ, non debent ulterius aestimari tentationes, nec alia fieri illis resistentia, nisi negativa, non utendo industria; et si natura inde patitur, necesse est illam sincere pati, quia natura est. *Molin.* 17.

Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus in Evangelio a nobis requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus haec abnegatio et sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus amator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam æternum. *Camerac.* 7.

Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario: in uno extremarum probationum casu, hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum. *Camerac.* 8.

In extremitatibus probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et qua non est intimus conscientiae fundus, se justè reprobat esse a Deo. *Camerac.* 9.

Tunc anima divisa a semetipsa exspirat cum Christo in cruce dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem. *Camerac.* 10.

Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse et justæ condemnationi quam sibi a Deo indictam credit. *Camerac.* 12.

P.P. 80. Regula 1^a. quæ statuit universe et indiscriminatum statutum Regularium aut Monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vita pastoralis munib; nec adeo in partem venire posse ecclesiastica Hierarchia, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vita Monastica principiis; — Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesie Patres et Præsules, qui regularis vita instituta cum Clericalis Ordinis munib; consociarunt,

injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesie mori, Summorumque Pontificum sanctionibus contraria: *Quasi Monachi quos morum gravitas, et vita ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesie Clericorum Officiis aggregentur.*

— Ex. S. Siricio Epist. Decr. ad Himerium Tarragon. c. 43.

P. P. 81. Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines [Mendicantium] institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset, — Scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum Auctorum contumeliis favens.

P. P. 82. Regula 2^a. Multiplicationem Ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem; — Item in eo quod præmittit. § 4. Regularium Fundatores, qui post Monastica Instituta prodierunt, Ordines superaddentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud efficiere, quam primariam mali causam magis magisque dilatare; — Intellecta de Ordinibus et institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munera varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat; — Falsa, calumniosa, in sanctos Fundatores, eorumque Fideles Alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices injuriosa.

P. P. 83. Regula 3^a. qua, postquam præmisit parvum Corpus degens intravilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu semper esse periculosum, subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias; — Falsa, temeraria, Regularibus Institutis a Sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem Instituta insectationibus et calumniis.

P. P. 84. De systemate seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa, pro Reformatione Regularium: Art. 1. *De uno duntaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de selenunda præ ceteris Regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclaras illius Ordinis merita; sic tamen ut in his, que forte occurrant temporum conditioni minus congrua, instituta vita ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.* — 2. *Ne compotes fiant ecclesiastice Hierarchie, qui se huic Ordini adjunxerint, nec ad saeros Ordines promoveantur, praterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam Curati vel Capellani Monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.* — 3. *Unum tantum in unaquaque Civitate admittendum Monasterium, idque extra mœnia Civilatis in locis abditiis et remotioribus collocandum.* — 4. *Inter occupationes vita monastica, pars sua labore manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodia impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitiantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctæ sunt psalmodie, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminentus fervor est, sanctitasque Regularium.* — 5. *Nulla foret admittenda distinctio Monachos inter sive Choro sive Ministeriis addictos; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a Communitatibus Régula-*

rium spiritum caritatis expulit. — 6. Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres Monachi qui tamen Ecclesie consolatio et Christianismi ornatum extiterunt. Vota Castitatis, Paupertatis et Obedientie non admittentur instar communis et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus. — 7. Omnem Episcopum habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit Monachos admittere et expellere, semper tamen accepto Contubernium consilio. — 8. Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet Sacerdotes in hoc Monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine proprie sanctificationi vacare euperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali Regula num. 2. statuta, sic tamen ne vite institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plusquam una aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque ceteris Sacerdotibus esse debeat una cum Communitate concelebrare. — Item pro Reformatione Monialium: Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ; a carnali spiritualitate, qua pleraque distinentur; avocandæ, expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satis foret Monasterium in Civitate relinqui. — Systema vi gentis atque jam antiquitus probatae ac receptæ disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus Apostolicis, et plurium Conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini Sanctionibus oppositum et injuriosum, favens haereticorum in Monastica Vota et Regularia instituta, stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.

PARS III. EJUSQUE SUPPLEMENTUM.

DE INCARNAȚIONE.

DE OPERIBUS CHRISTI. Opera justitiae et temperantiae, quæ Christus fecit, ex dignitatis personæ operantis non traxerunt majorem valorem. Bai. 19.

Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori involuntarias perturbationes. Camerac. 13.

DE MORTE CHRISTI. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus. Alex. VIII. B. 4.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris. Quesn. 32.

P. P. 71. Propositio quæ asserit adorare directe Humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creatura; — Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum, quem Fideles dirigunt ad Humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua Humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita Divinati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsis carne adoratur ex Concil. C. P. Gen. V. Can. 9. — Falsa, captiosa, pio ac debito cultui Humanitati Christi a Fidelibus praestito ac praestando detrahens, et injuriosa.

P. P. 72. Doctrina quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit

DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; — Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata; — Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurum offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.

P. P. 63. Item in ea quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam Carmem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam Humanitatem totam, cum separatione aut præcisione a Divinitate adorari non posse cultu latræ; — Quasi Fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel præcisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe Personæ Verbi cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a Divinitate adorable fuit in sepulchro; — Captiosa, in Fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

DE MATER CHRISTI. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiquerit purificatione, et quod Filius, qui offerebat, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. Alex. VIII. B. 24.

Laus, quæ defertur Marie ut Mariae, vana est. Alex. VIII. B. 26.

DE USU IMAGINUM. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. Alex. VIII. B. 23.

P. P. 69. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter Imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat Imagines Trinitatis incomprehensibilis, — Propter sui generalitatem, temeraria ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria; quasi nullæ extent Imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ. — Ex Brevi Sollicitudini nostræ. Bened. XIV. an. 1743.

P. P. 70. Item doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum quem alicui speciatim Imagini solent Fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere; — Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini injuriosa, quo *ila Deus nec in omnibus memoris Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.* — Ex S. Aug., Ep. 78, Clero, Senioribus, et universæ Plebi Ecclesiae Hippomensis.

P. P. 71. Item quæ vetat ne Imagines, præsertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur, præterquam denominationibus quæ sint analogæ Mysteriis de quibus in sacra Scriptura expressa sit mentio; — Quasi nec adscribi possent Imaginibus piæ aliæ denominations, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat; — Temeraria, piarum aurum offensiva, venerationi præsertim Virgini debitæ injuriosa.

P. P. 72. Item quæ velut abusum extirpari vult morem quo velatæ asservantur certæ Imagines; — Temeraria, frequentato in Ecclesia et ad Fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE SACRAMENTIS.

DE EORUM EFFECTU. Unde, in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. Bai. 57.

DE ILLORUM ADMINISTRATIONE. Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicita tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurriendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis. *Innoc. XI. A. 1.*

Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. *Innoc. XI. A. 1.*

DE ILLORUM USU. Frequens confessio et communio etiam, in his qui gentiliter vivunt, est nota predestinationis. *Innoc. XI. A. 36.*

P. P. 27. Deliberatio Synodi, qua praetextu adhäsionis ad antiquos Canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda forme conditionalis mentione; — Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

DE BAPTISMO.

DE FORMA BAPTISMATI. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris etc.* prætermisis illis: *Ego te baptizo.* *Alex. VIII. B. 27.*

DE EFFECTU BAPTISMATI. Primus effectus gratiae baptismalis est facere ut moriamur peccato adeo, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. *Quesn. 43.*

Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Iudeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. *Quesn. 63.*

DE INTENTIONE BAPTIZANTIS. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia. *Alex. VIII. B. 28.*

DE EUCHARISTIA.

DE COMMUNIONE. Nec ante nec post communionem alia opus est præparatione aut gratiarum actione (pro animabus hisce internis), quam ut se teneant in solita resignatione passiva, quia in hac invenitur amor, qui supplet modo perfectiori quam omnes alii virtutum actus, qui fieri possunt et fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione communionis accident motus humilationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus; aliter enim sunt impulsus naturæ nondum mortuae. *Molin. 32.*

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. *Alex. VIII. B. 22.*

Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers. *Alex. VIII. B. 23.*

DE SACRIFICIO MISSÆ. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate homo Deo inhæreat. *Bai. 43.*

Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiae. *Quesn. 89.*

P. P. 28. Propositio Synodi, qua, postquam statuit *Victimæ participacionem esse partem Sacrificio essentialē*, subjungit non tamen se damnare ut

illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo; — Quatenus insinuat ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de Victima participant; et quasi damnandæ essent ut illicitae Missa illæ, in quibus solo Sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet; — Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

P. P. 29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis, — remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post Consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem Panis et Vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, — prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ Panis in Corpus et totius substantiæ Vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemnî Fidei professione continetur; — Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspicioseque omissionem, notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica; — Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transsubstantiationis, favens haeticis.

P. P. 30. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in Liturgia fieri possit specialis commemorationis aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* — dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet;* Unde et consequenter traducit velut falsam, opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, speciale fructum ex ea percipient; — Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a Sacerdote, non magis proposit, cæteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, specialiter a Pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum, Sess. 23. c. 1. de Reform. — Bened. XIV. Const. *Cum semper oblatas*, § 2. — Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffio.

DE LINGUA, IN QUA DICITUR MISSA. Eripare simplici populo hoc solarium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicæ et intentioni Dei. *Quesn. 86.*

P. P. 66. Propositio asserens fore contra Apostolicam præxim et Dei consilia, nisi Populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius

Ecclesie; — Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae, — Falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratiōne p̄scripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE DISPOSITIONE SACERDOTIS CELEBRANTIS. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non p̄ceptum. *Alex. VII. B. 38.*

Illa particula, *Quamprimum*, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur. *Alex. VII. C. 39.*

DE STIPENDIIS PRO MISSA LEG. Duplicatum stipendum potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. *Alex. VII. C. 8.*

Post decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. *Alex. VII. B. 9.*

Nou est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendum accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione per juramentum firmata danti stipendum, quod pro nullo alio offeram. *Alex. VII. B. 10.*

Annum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos. *Alex. VII. C. 43.*

DE P̄ENITENTIA.

DE VIRTUTE P̄ENITENTIÆ. Homo debet agere tota vita p̄enitentiam pro peccato originali. *Alex. VIII. B. 19.*

DE SACRAMENTO P̄ENITENTIÆ. Animabus profectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, quin et eo, ut mortuæ sint, jam pertingunt, Deus nonnunquam impossibilem reddit confessionem, ipseque supplet tantumdem ipsis largiendo gratiae præservantis, quantum reciperent ex Sacramento; ideoque his animabus non expedit eo casu ad Sacramentum P̄enitentiae accedere, quia non possunt. *Molin. 60.*

DE EFFECTU SACRAM. P̄ENIT. Peccator p̄enitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolvientis, sed a solo Deo, qui p̄enitentiam suggestens et inspirans vivificat eum et resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur. *Bai. 58.*

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI. Concilium Tridentinum non obligat Regulares ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Secularium confessiones audire possint; neque de illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt; cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisib⁹ fidei, neque Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata. *Alex. VII. A. 4.*

Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ex ulla causa revocare. Quinimo Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, et, si ab Episcopis Religiosi non approbentur, rejectio illa valet tantum ac si approbatio concessa fuisset. *Alex. VII. A. 2.*

Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad

confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur approbati in aliis, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas indulta ipsis non fuerit. *Alex. VII. A. 3.*

Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. *Alex. VII. B. 16.*

Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt vel inviolabiles. *Alex. VIII. B. 20.*

Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidiæ temporalis. *Alex. VIII. B. 21.*

DE MODO ADMINISTRANDI SACRAM. P̄ENIT. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesie, sed ipsa Christi lex et p̄scriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante. *Alex. VIII. B. 16.*

Per illam praxim mox absolvendi ordo P̄enitentiae est inversus. *Alex. VIII. B. 17.*

Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti P̄enitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. *Alex. VIII. B. 18.*

P. P. 34. Declaratio Synodi, qua postquam præmisit ordinem p̄enitentiae canonice sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpe, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus quæ ipsi cursu temporis adjunctæ sunt; — Quasi per ordinem, quo sine peracto canonice p̄enitentiae cursu hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisse dignitas imminuta; — Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiae ipsi injuriosa.

P. P. 35. Propositio his verbis concepta: *si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtainendum augmentum hujus caritatis, oportet Sacerdos præcedere faciat eos actus humilationis et p̄enitentiae, qui fuerunt omni etate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen p̄enitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet præcedere absolutionem: longe quidem absumus ab improbanda praxi impónendi p̄enitentias etiam post absolutionem adimplendas; si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis reveri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliatonis; — Quatenus innuit p̄enitentias, que imponuntur adimplende post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut p̄enitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen, servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humilationis et p̄enitentiae, qui imponuntur per modum*